

Georg Mejer   Jacob Fabricius


## **Disputationum Physicarum Secunda De Principiis Corporum Naturalium in genere**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742735567>

Druck   Freier  Zugang







51

R. U. phil. 1609. 10.


12 gyl.

35 1717











*Disputationum Physicarum*  
S E C U N D A  
DE  
PRINCIPIIS COR-  
porum Naturalium in  
genere.

*Quam*  
Divina adspirante gratia  
In Inclvta Academia Rostochiensi  
SUB PRÆSIDIO  
M. GEORGII MEIERI  
*Duderstadensis Saxonis.*

Tuebitur  
JACOBUS FABRICIUS  
Slesvicensis.

*Ad diem 19. Maij horis & loco consuetis.*

Rostochij Typis Myliandrini Anno 1610.





Almæ Academiæ Rostochiensis

RECTORI MAGNIFICO

*Viro Amplissimo, Consultissimo, Excellentissimo,*

**DN. ERNESTO COTHMANNO**

**U. J. D. & Professori eximio, nec non Ducum Megapolensium Consiliario prudentissimo, fidelissimo, dignissimo:**

VI ET

*Reverendis, Clarissimis, Doctissimis, Veneranda Facultatis Theologica DECANO Seniori, & reliquis S. S. Theologia Doctores & Professoribus publicis,*

**Dominis Præceptoribus, Patronis, fautoribusq; amicissimis, reverentiâ sanctâ æternùm colendis.**

**Hæc studiorum suorum Physicorum primitias testandæ debitæ subjectionis, observantiæ & honoris ergò**

officiose offert

**JACOBUS FABRICIUS.**  
J. F.





DE PRINCIPIIS CORPORUM NATURALIUM IN GENERE.

Theorema I.

Rectè ordimur à tractatione de corporum naturalium principijs.



Vnt qui tractationem de Natura ei qua est de principijs præmittunt, Philosophus verò contrà prius de principijs, posterius de Natura agit. Et disceptant Physici, utrius consideratio præponenda. Nos pro Philosopho qui à principijs, postpositâ Naturâ, auspiciatur pugnamus. 1. Quia

principia faciunt ad cognitionem Naturæ. Natura enim cognosci nequit, nisi prius cognoscantur principia. Quæ autem faciunt ad cognitionem sequentium, illa semper sunt præmittenda. 2. Quia principia in qualibet scientia sunt priora: Dicuntur enim principia quòd prius se nihil habeant.

II. Qui verò à natura initium tractationis faciunt his moventur rationibus: 1. Quia natura est veluti subjectum Physices: Corpus enim naturale est quod in se habet principium motus & quietis: Subjectum autem in quacung; scientia est primum.

2. Quia natura est generalior principijs: Competit enim tam Cælo quam corporibus sublunariis, principia autem cælo non competunt, nam ubi est materia & forma, ibi est generatio & corruptio. Generalia verò juxta Canonem Methodi semper oportet esse priora.

III. Verùm rationes hæc facile solvuntur. Prima enim est falsa, nam natura non est subjectum Physices, sed corpus quod in se



naturam habet, ideoq; etiam natura definitur non Corpus, sed  
de<sup>xi</sup> siue a<sup>xi</sup>o<sup>xi</sup>a à Philosopho lib. 2. Physic. cap. 1. Aliud  
itaq; est natura, aliud corpus quod in se naturam habet. Secunda  
itidem erronea est. Nam concedi non potest, quod principia cor-  
porum naturalium, materia videlicet & forma cælo non compe-  
tant: Si enim non competere, cælum non esset corpus naturale.  
Qui itaq; cælum affirmant corpus esse naturale, principijs corpo-  
ris naturalis idem spoliare non possunt: quia quodlibet corpus  
naturale ex materia & forma est compositum. Nec axioma  
illud: Ubi est materia & forma, ibi est generatio & cor-  
ruptio, universaliter est verum: Non enim data fuit à  
natura materia ob transmutationem ad generationem pri-  
mò & per se: ut ubicunq; sit, ibi etiam sit generatio: Sed  
ad subsistendum formæ corporeitatis in substantia, & reci-  
piendum quantitatem, ac figuram. Scalig. exerc. 61. sect. 1.  
*Qua de re suo loco fusiùs.*

### Theorema II.

Vocabulum Principij non uno eodemq;  
modo semper usurpatur.

*Multis enim rebus tribuitur. Tribuitur initio axiomatibus  
siue propositionibus qua confestim ubi audiuntur apud omnes fide  
sunt dignissima. Hinc principia dicuntur cognoscendi, quod ab  
illis initium fit cognitionis, hujus generis sunt. Totum majus  
est qualibet sua parte. Æqualibus si addas æqualia, tota  
remanebunt æqualia. Tribuitur deinde rebus qua vel ordine  
natura, loci, temporis, dignitatis, precedunt. Sic architectus prin-  
cipium est domus; exortium orationis; aurora, diei; consul  
civium. Porro tribuitur etiam rebus simplicibus, qua res alias  
extrinseca quadam habitudine respicientes terminant. Sic pri-  
vatio*



vatio inter principia Physica recensetur quia terminus est generationis & corruptionis. Tribuitur insuper ijs rebus qua habent rationem causa & ad productionem effectorum extrinsecus aliquid conferunt. Sic causa efficiens & finis principia dicuntur. Tandem vocem principij merentur qua rationem habent causa, & ad productionem effectorum intrinsecus aliquid conferunt, ut sunt materia & forma. Ha sunt acceptiones vocis principij, ex quibus ultima praesenti negotio maximè inservit.

### Theorema III.

Principia sunt, quæ in illa scientia cuius sunt, nihil habent prius, quod eorundem causa sit, ipsa verò sunt causa reliquorum omnium.

I. Δεῖ γὰρ inquit Philosophus τὰς ἀρχὰς μήτε εἶ ἀλλήλων αἰνεῖν, μήτε εἶ ἄλλων, καὶ ἐκ τούτων πάντα lib. I. Phys. cap. 5.

t. 42. Et commune hoc est principijs, ut sint τὸ πρῶτον. Unde sequitur quod etiam principia sint prius principiato, quia itaq; principia omnium sunt prima, non possunt esse ex alijs, si enim essent ex alijs, non tam essent principia, quàm principiata. Sunt verò ex ipsis omnia: aliàs non essent omnium principia.

II. Nec est quod quisquam suspicetur nos ἀπλῶς & simpliciter principijs nihil prius esse statuere. Nam principia hæc si Metaphysicè considerantur ut Entia, omninò prius aliquid se habent, & non amplius sunt principia, sed principiata ex potentia & actu constantia, cum quodlibet Ens finitum principia habeat essendi, ex ijsq; veluti sit compositum. Habet materia suum actum sive differentiam, per quam materia est, & forma non est, Scalig. exerc. 17. Hinc cautè in definitione principio-



*cipiorum adjecimus : qua in illa scientia cujus sunt, prius se nihil habent.*

#### *Theorema IV.*

**Principia corporum naturalium suo modo sunt contraria.**

*Πάντα εἴη τὰ φύσιν γινόμενα, ἢ ἐναντία, ἢ ἐξ ἐναντίων.*  
Omnia erunt quæ natura fiunt, aut contraria, aut ex contrarijs. Arist. lib. I. Phys. cap. 5. t. 47. *Est autem hoc accipiendum non de contrarietate propriè sic dicta, ea enim solummodo est qualitatium. Præterea inter Materiam & formam nullum reperitur disidium, sed amicè conspirant, & nunquam materia à forma divelleretur, nisi privatio esset, quod patet exemplo cæli in quo forma per aliquot mille annos cum materia conjuncta fuit, propterea quòd in eo privationi locus non relinquatur. Non ergò materia forma, neq; forma materia, sed privatio formæ adversatur.*

#### *Theorema V.*

**Non Elementa sunt prima corporum naturalium principia.**

*I. Quia ipsa sunt composita ex materia & forma: Principia autem non sunt composita. Quin & ex se invicem Elementa generantur. Generatur ex aqua aer, ex aere ignis. Principia autem non ex se invicem generantur Arist. I. Phys. cap. 5. t. 42.*

*Nec obstat argumentum, quo quidam utuntur, quod videlicet corpora naturalia ex Elementis sint conflata, inq; ea quando corrumpuntur, vicissim resolvantur. Etenim non omnia sed quadam*



quadam corpora ex Elementis sunt composita, mixta videlicet, caelum verò, orbis caelestes, & stella ex ijs non constant, Imò Elementa si omnium corporum naturalium essent principia, essent & sui principia, quia ipsa sunt corpora naturalia, si ergò sunt corpora naturalia, utiq; principia non erunt, sed habebunt principia. Quod verò corpora naturalia mixta in elementa resolvi dicantur, non negamus quidem, sed ultimò resolvi in ea illud negamus, quia Elementa adhuc resolvuntur in materiam primam.

### Theorema VI.

Variae sunt & discrepantes de numero principiorum, Philosophorum opiniones.

I. Alij enim unum; alij plura constituunt. Qui unum, id vel mobile esse, vel immobile affirmant: qui plura, vel finita vel infinita ponunt. Parmenides unum principium finitum & immobile constituit. Melissus unum sed infinitum & immobile. Qui verò unum principium, idq; mobile astruunt, nec ipsi in eandem eunt sententiam: Quidam enim ignem pro principio corporum naturalium agnoscunt, ut Heraclitus: Quidam aërem ut Anaximenes: Quidam aquam, ut Thales Milesius: Quidam terram, ut Hesiodus. Democritus verò, & Anaxagoras infinita constituunt principia, omnia ex atomis fieri asserentes, quorum singulorum opiniones Philosophus I. Phys. satis prolixè perstringit & examinat.

II. Varie quidem sunt opiniones, sed tamen nulla veritati consona videtur. Primò enim unicum principium esse minime poterit: Quod enim unicum est, ex se procreare quicquam haud



haud potest. Adde quod omne compositum constet ad minimum è duobus: Unum enim & simplex non constituit compositum, quia itaq; quolibet corpus naturale est compositum, non erit unum aliquod corporum naturalium principium. Quid? si unum omnium rerum esset principium, omnia in uno eodemq; statu permanerent: Vnum enim nihil habet à quo patiatur, quia uni nihil contrarium: omnis autem mutatio proficiscitur ab eo, quod idem non est, sed quodammodo oppositum & alteri contrarium.

III. Præterea nec immobile esse potest illud principium: Quia principiatum, corpus videlicet, est mobile. Principium autem nunquam est toto genere diversum à principiato. Deinde naturalia omnia mobilitati sunt obnoxia: quod enim in se habet naturam, in se habet principium motus. Atqui verò principium corporis naturalis esse naturale, quis est qui negare ausit? Quin & hoc addendum, quod principium sit id ex quo aliquid generetur. Jam verò ex quo aliquid generatur illud mobile sit necessum est, quia omnis generatio fit per motum.

IV. Porro nec mobile erit istud unicum principium: Nam unum quod est à nullo alio movetur, Mobile verò quando movetur, movetur ab alio. Et si unum esset principium mobile, principium motus illius esset à seipso, & sic in unico illo principio duo, id quod moveat & quod moveatur, quod absurdum est. Esset enim principium non simplex aut unum, sed compositum, & ob id non unum principium.

V. Quin nec finitum esse poterit unicum id principium. Si enim principium unum & finitum esset, oporteret aliud quicquam esse, à quo finiretur. Jam verò principium unum à nullo alio finitur. Si enim finiretur non esset unum: Finitum enim quicquam



quicquam dicitur ratione alius cuiusdam quod finit, quia extre-  
mitas unius semper est finis extremitatis alterius. Non itaq; u-  
num tantum erit principium finitum. Et qui Elementum quod-  
dam, sive ignem, sive aërem, sive aquam sive terram princi-  
pium constituunt, in eo errant, quod putent Elementum esse  
principium primum corporum naturalium, cum tamen & ipsum  
ex materia & forma sit compositum. Idcirco dicitur Elemen-  
tum principium sive corpus simplex, respectu mixtorum. : Re-  
spectu verò materia & forma non dicitur principium, sed prin-  
cipiatum sive corpus compositum. Quodlibet enim Elemen-  
tum constat ex materia & forma, tanquam principijs  
suis.

VI. Multominus vero infinita erunt corporum naturali-  
um principia, cum natura abhorreat ab infinito. In natura non  
potest esse infinitum, quia ipsa est finita: Finitum autem infi-  
niti non est capax. Et infinita si essent, eorundem non daren-  
tur scientia. Infiniti namq; nulla scientia. Præterea si prin-  
cipia corporis essent infinita, esset & ipsum corpus infinitum:  
Cujus enim principia sunt infinita, illud ipsum est infinitum:  
Et rectè judicatur de principiato ex principijs. Tandem nihil  
ex infinito generari potest: Ubiq; enim datur generatio, ibi  
& augmentationem dari necessum est, augmentatio verò nulla ex-  
istit infinita, acquiritur enim per augmentationem major  
quantitas, ideoq; & major necessario locus: Infinitum verò o-  
mnia loca occupat, nullisq; locorum terminis concluditur.

VII. Quia igitur unum principium corporum naturalium  
non est, relinquatur quod sint plura, eaq; non quidem numero in-  
finita siquidem à nobis cognosci non possunt: Sed finita quando-  
quidem omnium rerum natura definita, quarum sanè conditio  
de ipsorum quoq; principiorum conditione nos admonet. Effectum  
enim nunquam toto genere discrepat à causis suis: Nam quic-  
quid

B

quid



quid causa habent, transferunt in effectum: Et quicquid habet effectus, id ipsum necessario à suis causis dependet & profiscitur.

### Theorema VII.

Tria dantur corporum naturalium principia: Constitutionis duo, materia & forma, & transmutationis unum, quod est privatio.

I. Vidimus quæ fuerint veterum de numero principiorum opiniones, easq; ductore Aristotele firmissimis fundamentis refutavimus. Nunc deniq; certus eorum numerus definiendus. Terminarium verò cum Philosopho lib. 1. Phys. cap. 7. constituimus: In productione enim corporum naturalium primò omnium contraria occurrunt, non quidem ubi fit negatio generis & subjecti, ut in contradictorijs, neq; ubi contrarietas duobus habitibus determinatur: Verum ubi habitus, ejuq; in subjecto habili negatio describitur. Illa enim sunt prima contraria quorum unum alterius capax non est, sed semper pellit alterum, ideoq; omnis mutationis causa sunt, uti etiam videmus omnia è contrarijs fieri, & in contraria vicissim reverti.

II. Hujus generis sunt forma & privatio, prima contraria dicta, quandoquidem genere eodem univoco non conveniunt, privatio enim actu non est, ideoq; certam categoriam non habet, speciemq; haud constituit. Atq; hac contrarietas non Logicè sed Physicè accipienda est, Substantiæ enim secundum Logicam, nihil est contrarium.

III. Caterùm quia quorumvis contrariorum ea conditio est, ut semper sint in alio, non tantummodo duo erunt principia, sed tertium



tertium etiam requiretur, nimirum subiectum quod contrarijs huiusmodi per vices subijciatur: Contraria enim hac, quia per se non subsistunt, nec ex se substantiam producere possunt, opus habent subiecto, quod primo per se subsistat, quodq; illa duo contraria suslineat. Subiectum autem istud unum tantum est, non plura, quia ut contraria unum genus habent: Ita & subiecto uno conuenire oportet. Relinquuntur itaq; tria corporum naturalium principia, nimirum, materia, forma & privatio.

### Theorema VIII.

Duplex est huius de principijs tractatus causa: Initio ut ratio reddi possit motus; deinde ut causa generationis & corruptionis sit manifesta.

Ut tandem finem huic generali principiorum considerationi imponamus, coronidis loco causas assignabimus, ob quas ternarius hic principiorum numerus à Philosophis sit constitutus. Prima est, ut in omnibus rebus naturalibus causa monstrari posset motus. Quia enim idem, secundum idem movere, & moveri non potest, forma constituitur principium motus quod in se mobile, materiam videlicet habeat. Secunda, ut omnis generationis & corruptionis in natura ratio dari posset. Statim enim, quando in materiam introducitur forma, corpus perfectum & absolutum est, & materia formam acceptam nunquam abijceret, nisi secundum privationem appetitus ei inesset ad novam formam recipiendam, quo fit, ut formam semel assumptam diu non retineat: Atq; inde est rerum generationum & corruptionum in natura perpetuitas.



## Corollaria.

I.

*An materia & forma nomen principiorum etiam mereantur, cum tamen Deum se habeant priorem? A.*

II.

*An Contrarietas seu discordia principiorum sit magis causa rerum, quam eorum unio seu concordia? N.*

III.


*An caelo etiam competant principia naturalia constitutionis? A.*

IIII.

*An quicquid fit physicè, fiat ex aliquo? A.*

V.

*An corpus naturale à principijs suis, materia videlicet & forma conjunctim acceptis, realiter sit distinctum ut vult Timplerus part. 1. Phys. cap. 4. quest. 2.? N.*























306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unione separantur.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esset bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document

... pri  
... m, a  
... cor  
... x sua  
... quia

... ra  
... us vi  
... ntelli  
... ristere

... nam  
... istit.  
... ftere,  
... im ali  
... festum  
... exer.  
... depo  
... ea in  
... untur.  
... n sunt  
... dentia  
... est bo  
... Ens est  
... reatus.  
... à sum  
... o bono